



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

9. Postquam ad &c. Bulla plenissimæ Indulgentiæ pro fabrica Basilicæ
Principis Apostolorum de Urbe, noviter emanata à Sede Apostolica: anno
1517.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, illorumque tenores presentibus sufficienter expressis, & insertis habentes) specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si fecus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Eosdem insuper Fratres in virtute Sanctæ obedientiæ monemus, ut eosdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos pro debita, & nostra, ac Apostolicæ Sedis reverentiâ, congruo honore, & convenienti observantiâ venerentur. Ipsos quoque Episcopos hortamur, ac per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes, charitative tractent, ac benigne foveant, seque illis minime difficiles, duos, vel morosos, sed potius faciles, mites, propitios, piaque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis, tanquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laboris participes, prompta benignitate recipiant, eorumque jura omni cum charitate custodiant, atque defendant, ut tam Episcopi, quam Fratres præfati (quorum opere, veluti Lucernæ ardentes supra montem posita, omnibus Christi Fidelibus lumen præbere debent) ad Dei laudem, Fidei Catholicæ exaltationem, populorumque Salutem, de virtute in virtutem proficiant, ac exinde à largissimo honorum omnium retributore Domino perennis vitæ præmium consequi mereantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, ordinationis, voluntatis, derogationis, decreti, monitionis, exhortationis, & requisitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ, in publica Sessione, in Lateranensi Sacrosancta Basilicâ, solemniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo sexto-decimo, decimo-quarto Kal. Januarii, Pontificatus nostri anno quarto.

Bulla plenissimæ Indulgentiæ pro fabrica Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, noviter emanata à Sede Apostolica: anno 1517.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Universis Christi Fidelibus presentes litteras inspecturis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Postquam ad Apostolatus apicem, meritis licet imparibus, divinâ favente clementiâ assumpti fuimus; inter cætera, quæ nobis assidue meditando, & sollicitè exequenda ex iis, quæ etiam in minoribus constituti toto cordis affectu cupieramus; sese nobis reddiderunt salutis animarum, Christi Fidelium cura, & absolutio fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe. Illa enim & boni Pastoris præcipua, & ad cœlestem aulam excolendam, & gregem sibi commissum salvandum: Ita ad Ecclesiam, quæ caput Ecclesiarum omnium, in qua Apostolicæ Sedis solium collocatur, existit, reintegram pernecessaria dignoscuntur: Quibus felicis recordationis Julius Papa Secundus, Prædecessor noster assidue invigilans, ut utrumque simul efficeret, ad invitandum Christi Fideles ad pietatis opera, & ad porrigendum ipsi fabricæ manus adjutrices, plenariam indulgentiam, & plura Spiritualia dona concessit.

Nos igitur ejusdem Prædecessoris vestigiis inhaerentes, cum omnibus Christianæ Fidei cultoribus liqueat, B. Petrum ab ipso Salvatore nostro Domino Jesu Christo, Apostolorum Principem fuisse constitutum, eique solvendi atque ligandi animas, cœlesti privilegio traditam esse potestatem, cum ei dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum: Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.*

Qui etiam, licet imparibus, ut præfertur, meritis, ejusdem cœlorum Clavigeri Successores effecti sumus, & ejus loco in Sanctâ Dei Ecclesia residemus, considerantes, quod etsi diffusis per orbem terrarum Ecclesiis ex injuncto nobis à Deo Apostolatus officio providere tenemur, ut Ecclesiæ ipsæ, quæ domus Dei sunt, in suis structuris & ædificiis non solum construuntur, sed & si opus fuerit reparantur. Circa tamen Basilicam B. Petri Principis Apostolorum de Urbe hujusmodi majorem curam & diligentiam adhibere nos convenit; ut sicut ipse B. Petrus ab ipso Salvatore nostro Princeps Apostolorum est constitutus, ita etiam ipse Basilicæ, quæ per præfatum Prædecessorem, ut nova reædificaretur, pro majori parte demolita fuit, maxima indiget reædificatione inter cæteras Urbis & Orbis Ecclesias, ut congruentibus, ac etiam necessariis ædificiis reædificetur, instruat, amplietur, ac reædificata, constructa, & ampliata conservetur. Cognoscentes igitur, ad tantæ fabricæ absolutionem facultates S. Matris Ecclesiæ, necessariis quamplurimis gravatæ impensis, non sufficere, & fabricam ipsam ad finem optatum, absque piis & largis Christi Fidelium erogationibus perducere non posse, Cunctorum Christi Fidelium Salutem (& præcipue illorum, qui in viginti quinque Provinciis, in quibus Minister generalis Ordinis Fratrum Minorum Regularis observantiæ nuncupatorum, citra montes existit; juxta morem dicti Ordinis numerandis, & sub quibus etiam tota Italia, Sicilia ultra Pharus, Corsica, Creta, Cyprus, Rhodus, usque ad Jerosolymam, Dalmatia, Croatia, Bosnia, Hungaria, Austria, Bohemia, & Polonia, exceptâ tantum Provinciâ Archiepiscopi Gneznenfis, ac etiam Insulæ Maris Mediterranei continentur, degunt) affectantes, ac considerantes, quod licet Christi Fideles ipsi in dictis Provinciis, & Insulis habitantes, devotè cuperent indulgentiarum, pro dictâ fabrica concessarum, participes fieri; tamen quoniam ob locorum distantiam personaliter ad dictam fabricam se conferendi, aut per alios pias elemosynas, pro hujusmodi fabrica in Caspam ad id deputatam transmittendi, omnimodam commoditatem non habent; paternè animarum suarum saluti, & dictæ fabricæ opportuna subventioni consulere cupientes, Salvatoris nostri (qui ad diversas mundi partes ad prædicandum S. Evangelium, ut animas Patri lucrificeret, suos Apostolos misit) quantum ex alto concedit, exempla sectantes, de Omnipotentis Dei Misericordia ac B. Petri & Pauli Apostolorum ejus, & omnium Sanctorum meritis confisi, ex certa scientiâ ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Universis Christi Fidelibus utriusque sexus, cujuscumque status, dignitatis, gradusque, ordinis, conditionis, & præminentie existentibus, etiam Ecclesiasticis, Religiosis Ordinum quorumcumque, ac aliis Sæcularibus per universas Provincias (exceptâ tantum prædictâ Gneznenfi) & Insulas prædictas constitutis, & ad illas undecumque venientibus, verè penitentibus, & confessis, (qui infra annum à publicatione præsentium litterarum nostrarum faciendi computandum, & ut sequitur terminandum, & deinde ad beneplacitum nostrum, Ecclesias in dictis Provinciis & Insulis, quarum dilectus Filius noster Christophorus de Forlivo tituli S. Mariæ in Arâ Cœli Presbyter Cardinalis, qui etiam dicti Ordinis Minister generalis existit, ei quem nuper propter vitæ integritatem, ac laudabiles mores ad Cardinalatus ho-

norem

IX.
Ex exemplari jussu
Abbatis
Rodolphi
edito.

norem promovimus, ad hæc & infra scripta Nostrum, & Apostolicæ Sedis Nuntium & Commissarium in dictis Provinciis & Insulis, ad dictum annum & beneplacitum nostrum, per præsentem facimus, constituimus & deputamus, per se vel alios nominaverit & deputaverit, juxta ejusdem Nuntii & Commissarii, seu Deputandi, vel Deputandorum, aut Subdelegandi vel Subdelegandorum, ab eo providam ordinationem super hoc faciendam, devotè visitaverint, & in capis ad hoc in subsidium dictæ fabricæ per Nuntium seu Commissarium, seu Deputandum, vel Subdelegandos prædictos Deputandi juxta Nuntii & Commissarii, ac Deputandorum vel Subdelegandorum prædictorum, ordinationem & arbitrium pias elemosinas effectualiter posuerint) plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem, ac tot & similes indulgentias & peccatorum remissiones etiam consequantur, quas consequentur, si singulis diebus quadragesimalibus, ac totius anni, singulas dictæ urbis, & extra eam Ecclesias, quæ à Christi fidelibus propter stationes visitari solent, personaliter visitaverint, & quod cum præfatis Commissario seu Delegandis, vel Subdelegandis prædictis convenierint, ut possint eligere confessorum sæculares, vel cujusvis Ordinis etiam Mendicantium, regularem, qui eorum confessione diligenter audita, pro commissis per eligentem delictis & excessibus ac peccatis quibuslibet, quantumcumque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis Causibus ac Censuris Ecclesiasticis, etiam ab homine ad aliquis instantiam latis, de consensu partium etiam ratione interdicti incurfis, & quarum absolutio dictæ Sedi esset reservata, præterquam machinationis in Personam Summi Pontificis, occisionis Episcoporum, aut aliorum Superiorum, Prælatorum, & injectionis manuum violentarum in illos & alios Prælatos, falsificationis Bullarum & Litterarum Apostolicarum, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac sententiarum & censurarum, occasione aluminum, culphæ nostræ, ac de partibus infidelium ad fideles, contra prohibitionem nostram delatorum, incurfarum, semel in vita, & de non reservatis casibus toties quoties id petierint, & in mortis articulo plenariam omnium peccatorum indulgentiam & remissionem impendere, ac poenitentiam salutarem injungere, & Eucharistiæ Sacramentum, etiam in die Paschatis, & in mortis articulo, sine tamen Rectoris & proprii Curati præjudicio, ministrare, nec non emissis per eos vota quæcumque ultramarina, ingressus Religionis & castitatis votis duntaxat exceptis, nisi de eorum validitate merito contingeret dubitari, aut quod propter ætatem vel infirmitatem, seu consimilem causam, persona Religionis inhabilis reddatur, aut post votum, matrimonium contraxerit; in quibus casibus etiam commutationem fieri posse volumus, cum dispensatione, quod matrimonii debitum per eum, qui contra votum contraxerit, reddi possit, & illo soluto Religionem ingredi minimè teneatur: sed propterea ad secunda vota transire non possit, & totum quod pro hujusmodi votorum commutationibus persolvetur, in opus dictæ fabricæ converti debeat.

Ac cum Simonie in Ordinibus vel Beneficiis Ecclesiasticis commissa labe polluta, ad ipsum opus contribuentibus super irregularitatem, si quam censuris hujusmodi ligati, Missas & alia Divina Officia, non tamen in contemptum clavium celebrando, aut aliis in Divinis se immiscendo, seu aliis quomodolibet, etiam Beneficia Ecclesiastica præmissorum occasione, vel aliis indebitè occupando, præterquam ratione Bigamie contraxerint: quod verò ad homicidium voluntarium, si secretum fuerit, citra Altaris Ministerium in foro conscientie duntaxat dispensare, eosque absolvere, omnemque inhabilitatem & infamie maculam, sive notam ex iis provenientem abolere; & in susceptis Ordinibus ministrare, ac si quaesita Beneficia Ecclesiastica, quæ ex tunc eis de novo collata censeantur, & per-

pros in eis fructus etiam ratione omissionis horarum Canonicarum & Divinorum Officiorum, facta aliqua compositione cum eis concedere; nec non super male oblatis, incertis, vel per usurariam pravitatem quæsitis, etiam certis, quæ fenerator ab alio fenerator extorsisset, & quæ ipse requisitus usuras restituere paratus non esset, vel alicui private Ecclesie deberentur, in quibus tamen Romana Ecclesia de jure communi succedere posset: ac etiam bonis, quæ ad alicujus manus pervenissent; & illa habentes, quibus restitui deberent, ignoraverint vel dubitaverint, tanquam male oblata per eos non existant, seu illa ad eos pervenerint: & similiter de iis, quæ pauperibus & aliis piis locis, ac pro maritandis puellis, & celebrandis Missis, & aliis Divinis Officiis in genere, absque ulla speciali determinatione, & propriis nominibus personarum non expressis, relicta forent, tam pro præterito, quam pro futuro temporibus componere, ita ut soluta aliquâ quantitate pro dictâ fabricâ, ejusdem Nuntii & Commissarii, seu Deputandis vel Subdelegandis ab eoduntaxat in capis ipsis ponenda, à reliquorum sic relictorum & male oblatorum, ac per usurariam pravitatem extortorum, seu quæ ad eos alias pervenerint, & cui ea restituere debeant, dubitent vel ignorent, ut præfertur, restitutione hujusmodi absoluti existant, & ultra minimè restituere teneantur, eis concedere; ac illa, quæ ante publicationem litterarum ipsius Julii Prædecessoris hujusmodi Indulgentiarum inexacta; etiam si illa Ordinariis pro ipsis tamen incertis quomodolibet relicta, donata, & quæ eis quovis modo obvenierint, nec non quæ ab ipsis Ordinariis, vel eorum nomine, post ipsam publicationem exacta, & eis quoque modo soluta, ac etiam quæ ante ipsam publicationem, pro ipsis certis aut incertis personis & locis non debeantur, sed post publicationem prædictam deberi cœperint, etiam si ea Ordinariis, ut præmittitur, relicta, donata aut obventa, tanquam eis indebita, per ipsum Commissarium, & Delegandos, & Subdelegandos, ab ipso nomine dictæ fabricæ liberè exigi, ac repeti, & allequi posse ac debere, etiam Censuris Ecclesiasticis, ac pœnis pecuniariis, aliisque juris remediis opportunis, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Ac quoscunque, qui ante ætatem legitimam ad Sacros, etiam Presbyteratus Ordines, absque alia dispensatione se promoveri fecerunt, & in susceptis Ordinibus etiam ministrarunt, ac eos, qui ex quavis licita & illicita cognatione, proveniente affinitate, consanguinitate, aut cognatione carnali vel spirituali inter levatum & levantem, excepto simplici aut multiplici gradu, ac quoscunque publicæ honestatis, justitiæ impedimento, seu aliis quomodolibet impediti matrimonium, scienter vel ignoranter, in quarto vel tertio consanguinitatis & affinitatis, ac per copulam fornicariam, non tamen publicam, etiam in primo consanguinitatis gradu contraxissent, & carnali copulâ consummassent, si impedimentum hujusmodi in judicium deductum non fuerit, vel scandalum generare non posset.

Ac etiam illos, qui in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu similiter contraxissent, & carnali copulâ non consummassent, ab excessu hujusmodi ac excommunicationis sententiâ, quam propterea incurrisissent, injunctâ inde eis pro modo culpæ poenitentia salutari, quæ ad fabricam hujusmodi dirigatur, & quod de cætero talia non committant, nec committentibus præstare auxilium, consilium vel favorem, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, absolvere; & ut de novo invicem matrimonium contrahere, & in illo sic contracto similiter remanere, liberè & licitè valeant, prolem susceptam ex hujusmodi matrimonio, si qua sit, & suscipiendam legitimam decernendo in foro conscientie duntaxat, quoad alios, quam quoad illos, qui in tertio vel quarto consanguinitatis, aut quarto affinitatis gradu existentes, matrimonium contraxerunt, ut præfertur, quos in utroque foro absolvi, & ma-

trimonium de novo etiam publicè contrahere possint, dispensare posse volumus, ac eidem Cardinali, & quibus ipse vices suas, quoad hoc specialiter commiserit, licet in quarto consanguinitatis & affinitatis gradu, ac impedimento publicæ honestatis iustitiæ, de contrahendo dispensare.

Et cum eisdem promotis super irregularitate, quam etiam in dictis Ordinibus ministrando contraxerint, quodque in dictis Ordinibus ministrare possint, ac etiam cum his, qui ætati sunt, & vigesimum tertium suæ ætatis annum attigerunt, ut ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines promoveri, & in Altaris Ministerio ministrare possint, dispensare: ac cum quibuscumque, qui Bona Ecclesiarum, Monasteriorum, & Ecclesiasticorum Beneficiorum quorumlibet habentes, & judicialiter deficientibus probationibus ad illorum restitutionem compelli non possent, etiam si per eos probari possent, & bona omnia ac quæcumque legata, & aliàs quomodolibet, etiam hæreditatis titulo, pro malè oblatorum restitutione relicta, hætenus & quæ relinqui ac largiri contigerit in futurum durante Deputatione Nuntii & Commissarii per presentes facta: & quibuscumque Testamentis, Donationibus causâ Mortis, Codicillis, aut aliis ultimis voluntatibus, per quoscunque & ubicumque factis, & quæ durante huiusmodi Deputatione fiunt, quibuscumque in certis Ecclesiis, & piis locis aut personis, similiter incertis & absentibus, taliter quod propter ipsorum absentiam merito ab his notitia haberi non possent, ac etiam quæ restitutioni subiacerent, sed in eis, vel ad ea personis, quibus illa fieri deberent, receptio non competeret. Necnon quæcumque in Testamentis, Donationibus causâ Mortis, Codicillis, aut aliis ultimis voluntatibus, pro redemptione captivorum, etiam si B. Mariæ de Mercede, & S. Trinitatis redemptionis captivorum Ordinibus, & S. Eulaliæ Barcinonensis relicta fuerint, ac hæreditates & bona decedentium ab intestato Clericorum & Laicorum, legitimum non habentium hæredem, etiam si indulto Apostolico, aut aliàs ad redemptionem prædictam captivorum dedicata pertinere deberent: necnon omnes & singulas pecunias, & res alias, quæ in prandiis & conviviis, ac publicis spectaculis, in aliquibus celebratibus ex voto, Statuto, seu consuetudine, in quibusvis locis exponi consueverint, facultate Nuntii & Commissarii huiusmodi durante, exponi deberent, ad fabricam huiusmodi applicamus; contraditoresque omnes Excommunicationis lætæ sententiæ, & quingentorum Ducatorum Auri, pœnis ipso facto subiaceri decernimus: & super restitutionem Bonorum Ecclesiarum, Monasteriorum & Beneficiorum huiusmodi, competenti receptâ portione, vel qualitate pro eis in fabricam huiusmodi convertendâ, ipsos sic ea tenentes, ab ulteriori eorum restitutione liberè absolvere, & quod illa retinere liberè possint, in posterum etiam eis concedere: ipseque Nuntius & Commissarius, & quibus vices suas in genere vel in specie duxerit committendas, possint dubietates quascunque, tam super qualitate personarum, quibus facultas eligendi Confessorem concedi possit, etiam si comprehendantur communia Civitatum, Universitates Oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum ac Collegia, quæ & illarum singulares Personæ Universitatum, Castrorum, Villarum & Collegiorum, dummodò non extendatur confessionale ad alias personas, quam tunc expressas tempore concessi confessionalis in Collegiis huiusmodi absolute à præmissis vel aliquo præmissorum, ac à dispensatione super eis vel aliquo eorum indigerent, quam cætera alia dubia decidere, declarare, & interpretari, ac hi qui sine confessione moriuntur, etiam si infra annum fuerint confessi, dummodò in eis signa contritionis in articulo mortis apparuerint, ut in loco sacro sepeliri possint, concedere; & contraditores sententiam Excommunicationis, & quingentorum Ducatorum ipsi fabricæ applicandorum incurrisse, decla-

rare, & summam pecuniariam pro consequenda indulgentia huiusmodi, & aliis præmissis, ac facultatem eligendi Confessorem huiusmodi limitare & taxare, nec non Nobilibus & Presbyteris, ac Graduatis Altare portatile, quod cum debitis honore & reverentia retineant, & super quo in locis ad hoc congruentibus & honestis, etiam non Sacris, & Ecclesiasticis interdicto generali vel speciali, tam Apostolicâ quam ordinariâ autoritate suppositis, (dummodò causam non dederint huiusmodi interdicto) etiam antequam elucescat dies, circa tamen diurnam lucem in sua ac suorum Familiarium Domesticorum presentia, juxta formam Capituli Alma de Sententiâ Excommunicationis libro sexto, Missas & alia Divina Officia per se ipsos, qui Presbyteri sunt, aut pro tempore erunt, celebrare, seu per alios Sacerdotes celebrari facere, ac tempore interdicti huiusmodi divinis interesse, ac Eucharistiam & alia Ecclesiastica Sacramenta, sine alicujus præjudicio (præterquam in die Dominicæ Resurrectionis) recipere, & eorumdem Corpora Ecclesiasticæ tradi possint sepulturæ, sine tamen funerali pompa.

Ac ut quadragesimalibus & aliis temporibus prohibitis, ovis, butyro, caseo, & aliis lacticiis ac carnibus, de utriusque Medici Consilio, uti, frui & vesci, liberè & absque conscientie scrupulo, possint & valeant concedere, nec non tempore generalis interdicti, etiam Autoritate Apostolicâ appositi, & unam ferè plures Ecclesias pro publicatione dictarum Indulgentiarum aperire, & eam seu eas à dicto Interdicto eximi, & in eis januis apertis Divina celebrari, & corpora defunctorum sepeliri facere, dictis indulgentiis actualiter durantibus: ac quæcumque juramenta in quibusvis Contractibus, Instrumentis & Obligationibus, præterquam in forma Cameræ appositis, ad effectum agendi, dumtaxat relaxare, & ab eis, & à quocunque perjurio, sine tamen tertii præjudicio absolvere, ac quascunque Indulgentias, etiam illas à media Quadragesima usque ad Pascha inclusivè ab Ordinibus Mendicantium publicari solitas, tam à nobis, quam à Prædecessoribus Nostri, & à Sede prædicta, vel ejus auctoritate quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, etiam Nostri Sancti Spiritus in Saria de urbe, Ordinis S. Augustini, & aliis Pii Locis, Universitatibus, Confraternitatibus cujuscumque qualitatis, & ad quemcumque usum, etiam Laicorum & Clericorum, institutis & singularibus personis, etiam plenarias in vita, ac quascunque facultates quibusvis personis cujuscumque Dignitatis, etiam Cardinalatus honore, aut Legationis Officio fungentibus, super præmissis vel aliquo præmissorum hætenus concessas, (præterquam ratione sustentationis pauperum & miserabilium personarum in Parisensi & S. Jacobi de Galicia, ac Portugaliæ Regni Hospitalibus degentium, quas quoad illorum usum in Provinciis, in quibus dicta Hospitalia respectivè sita sunt, secundum Cancellariæ Nostre morem terminandis, & non in aliquibus aliis locis durare volumus, ac expeditionis contra Turcos & Hæreticos concessis) etiam quascunque clausulas reservativas, adversas revocationes & suspensiones earumdem in se continentes, quando & quoties, & quod tempus Nuntio & Commissario præfato, vel Deputandis & Subdelegandis ab eo videbitur, opportunum: suspendere, quas omnes & singulas nos presentibus ad dictum beneplacitum nostrum suspendimus, & suspensas fore decernimus & declaramus, prohibentes omnino Quæstas quascunque illarum occasione fieri solitas, ac mandantes universis & singulis locorum Ordinariis, Abbatibus, & aliis tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus Personis, cujuscumque Dignitatis, Status, Gradus, Ordinis & Conditionis, vel Præeminentiæ existant, sub Excommunicationis lætæ sententiæ, ac quingentorum Ducatorum Auri, fabricæ prædictæ applicandorum, pœnis ipso facto incurrendis, ne publicationem & prædicationem dictarum Nostrearum Indulgentiarum, & suspensiones aliarum huiusmodi

in eorum Ecclesiis, Civitatibus, & Diocesis, ubi & quoties opus fuerit faciendam impedire, & aliquid prætextu publicationis petere, & etiam à sponte offerentibus recipere & exigere, aut in præmissis & circa ea fraudem aut dolum committere: Neque procurantes huiusmodi Indulgentiarum participes fieri, & sua pia suffragia erogare, ab huiusmodi eorum proposito, in toto vel in parte, directè vel indirectè, tacitè vel expressè retardare, aut per se, vel eorum Vicarios, vel Officiales licentiam faciendi Ecclesias aliquibus Quæstoribus alicujus Ordinis vel Religionis, aut Fraternalitatum vel Hospitalium, etiam nostri S. Spiritus in Saxia, aut S. Antonii & aliorum quorumcumque, aut aliis quomodolibet deputatis verbo vel scriptis concedere: Quinimò Quæstores omnes & singulos, quos in eorum jurisdictione sine literis Licentiæ Quæstandi Dicti Commissarii vel Subdelegandorum ab ipso repererint, cum eorum rebus & bonis, quæ dictæ fabricæ applicata esse decernimus, & ad manus dilecti Filii nostri Bernardi S. Mariæ in Portiuncula Diaconi Cardinalis, dictæ fabricæ Præfetti, fideliter deferri mandamus, retinere valeant, nec modo aliquo audeant, aut præsumant, per se vel alium dispensatos, vel absolutos, aut illos, cum quibus præsentium vigore ab ipso Commissario vel Delegandis, aut Subdelegandis prædictis contigerit dispensari vel absolvi, molestare vel impedire, aut penas aliquas pro casu, in quo, ut præfertur, dispensatum vel absolutum, tam pro præterito quam pro futuro temporibus fuerit, ex lege Canonica, Imperiali, statuto vel consuetudine exigere.

Quæstoribus verò supra nominatis sub similibus penis inhibemus, ne quæstas modo aliquo facere præsumant, nec bona ipsorum per præfatum Commissarium aut Delegatos, & Subdelegandos prædictos, etiam vigore aliarum litterarum præfati Julii Prædecessoris, eorum exigentibus demeritis, arrestata, applicata, & pro dicta fabrica vendicata, sibi modo aliquo vindicare, vel ab emptoribus, vel decontoribus, ac Commissario, delegatis vel subdelegandis prædictis repetere; ac sub similibus sententiâ & penâ mandamus quibuscumque Prædicatoribus verbi Dei, quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium, ut requisiti à præfato Commissario vel delegatis seu subdelegandis ab eo, præfatos Christi Fideles ad contribuendum dictæ fabricæ exhortent, & à præmissis Commissario vel delegandis præfatis admoniti à prædicationibus (diebus, quibus dictæ indulgentia ac suspensiones ab ipsis, vel de ipsorum commissione publicantur) penitus abstineant, liceatque nihilominus Commissario & Subdelegandis prædictis præmissa omnia & singula, etiam omnibus & singulis prædictis, sub eisdem penis, toties quoties eis, vel eorum alicui visum fuerit opportunum, mandare & injungere, nec non juramenta quæcumque à quibusvis Laicis, utriusque sexus de stando in aliqua Societate, Fraternalitate vel numero personarum, & de solvendo ratam aliquam in perpetuum vel ad tempus occasione Fraternalitatis, Societatis vel numeri, ratione dictarum indulgentiarum, privilegiorum, & quæstorum quomodolibet præfata, relaxare, & eosdem ab illis absolvere; Contradiçtores quoslibet & rebelles, etiam per censuram Ecclesiasticam, & alia juris opportuna remedia, invocato ad hoc etiam, si opus fuerit, auxilio Brachii sæcularis, compescere & compellere, ac Processiones publicè ad effectum præmissum fieri, & populum ac religiosos omnes cujuscumque Ordinis, etiam exemptos, pro huiusmodi operibus peragendis ad sonum Campanæ convocari facere, dictique congregati teneantur, sub pena excommunicationis præcedere, relicto digniori loco deputatis, & subdelegatis, ad ipsas indulgentias exequendas, & à censuris & penis prædictis, satisfactione præviâ, absolvere, & illa remittere, ac suspensiones huiusmodi indulgentiarum relaxare. Quodque etiam Transumptis & Confessionali-

bus, in dictis Provinciis, Insulis, & finibus, à quibusvis personis per præfatum Nuntium & Commissarium, vel deputandos vel subdelegandos, ab eo subscriptis, & suo Sigillo dumtaxat munitis, fides adhibeatur, autoritate Apostolicâ, tenore præsentium, licentiam & facultatem concedimus, atque volumus & mandamus. Et ut animarum salus eò potius procuretur, quo magis aliorum egent suffragiis, & quominus sibi ipsis proficere valeant; autoritate præfata de Thefauro S. Matris Ecclesiæ, animabus in purgatorio existentibus, quæ per charitatem Christo unitæ ab hac Luce decesserunt; & quæ dum viverent, sibi ut huiusmodi indulgentia suffragaretur, meruerunt.

Paterno compatientes affectu, quantum cum Deo possumus, succurrere cupientes, de divina misericordia, & Apostolicæ potestatis plenitudine, volumus & concedimus, ut si qui parentes, amici, aut ceteri Christi Fideles pietate commoti, pro ipsis animabus in purgatorio, pro expiatione penarum, eisdem secundum divinam iustitiam debitarum, detentis; durante Commissione Nuntii & Commissarii ad opus fabricæ huiusmodi, aliquam elemosynam (juxta Nuntii & Commissarii ac deputandorum & subdelegandorum ab eo, quibus vices suas commiserit, ordinationem) erogaverint, ipsa plenissima indulgentia per modum suffragii ipsis animabus in purgatorio existentibus, pro quibus dictas elemosynas piè erogaverint, ut præfertur, per penarum relaxationem suffragetur ac omnes & singuli Christi Fideles utriusque sexus, tam Ecclesiastici quam Regulares & Sæculares, de simili potestatis plenitudine & liberalitate, qui manus adiutrices ad opus fabricæ huiusmodi porrexerint, ac omnes & singuli eorundem parentes defuncti, benefactores, qui cum charitate decesserunt, in omnibus precibus, suffragiis, elemosynis, jejuniis, Orationibus, Missis, horis Canonicis, Disciplinis, peregrinationibus, & cæteris operibus bonis, quæ sunt & fieri poterunt, in tota universali Sacrosancta Ecclesia militante, & omnibus membris ejusdem, participes in perpetuum fiant, non obstantibus præmissis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non privilegiis & indultis, etiam *mare Magnum* nuncupatis, eisdem Ordinibus, eorumque personis in genere vel in specie, *sub quibusvis verborum formis & Clausulis, etiam in similibus, motu proprio, & ex certa scientiâ ac de Apostolica potestatis plenitudine*, forsan concessis: Quibus (etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de ipsis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales id importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliâ in suo robore permanens) hac vice dumtaxat specialiter & expressè de simili nostra scientiâ, & potestatis plenitudine derogamus, cuiquam volumus nullatenus suffragari; cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus vel eorum Ordinibus ab eadem Sede indultum existat, quòd interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem: Verum quia difficile foret præsentibus litteras ad singula quæque loca quæ expediens fuerit, deferre, volumus etiam & dicta auctoritate decrevimus, quòd illarum transumptis, unius vel duorum publicorum Notariorum manu subscriptis, & ipsius Nuntii & Commissarii, vel delegandorum & subdelegandorum ab eo, vel alicujus Prælati, vel personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, Sigillo munitis, ea prorsus fides indubia adhibeatur, quæ præsentibus nostris litteris adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Quodque in pecuniis, occasione Indulgentiarum huiusmodi provenientibus, fraudem ullam facientes excommunicationis sententiæ, & illi ipsi Commissario, vel delegandis aut subdelegandis ab eo, aut eorum Ordini, modo aliquo in præmissis, vel eorum occasione detrahentes, aut allerentes, eosdem dictas Indulgentias & facultates emisse, vel super eis nobiscum, vel cum aliquo alio convenisse, & composuisse, cum ut filii obedientiæ gratuitam operam, & labores iussi à nobis in favorem dictæ fabricæ impendant, ipso facto subjaçant; à qua ab alio quàm à nobis vel Commissario prædicto, & particulariter ad hoc ab ipso deputandis, & præviâ satisfatione, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi non possint; præsentibus post dictum annum & beneplacitum nostrum minime valituris.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostri Facti, Constitutionis, Deputationis, Applicationis, Suspensionis, declarationis, prohibitionis, inhibitionis, mandati, concessionis, derogationis, voluntatis, & decreti infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleesimo Quingentesimo decimo septimo, 18. Kal. Octobris, Pontificatus nostri, anno quinto.

Ja. Sadolerus.

Cyprianus.

„Quibus quidem litteris diligenter inspectis, pro parte Reverendissimi Patris & Domini, Domini Christophori de Forlivo, tituli S. Marie in arâ Cæli Presbyteri Cardinalis, ac totius Ordinis Minorum Regularis observantiæ Ministri Generalis, Indulgentiarum prædictarum in 25. Provinciis (ut in dictis litteris continetur) Commissarii instanter requisiti, per Notarium nostrum infra scriptum cum ipsis originalibus litteris concordari mandavimus, & fecimus, quibus omnibus & singulis nostrum interposuimus Decretum, & ad amplio rem evidentiam præmissorum, Sigillum nostrum in similibus consuetum præsentibus duximus appositum. Datum Mediolani, in Domo Residentiæ nostræ, die undecima mensis Januarii, 1518.

„Pontificatus præfati Sanctissimi Domini nostri Pape anno quinto. Præsentibus ibidem Venerabilibus viris Dominis, Fredulo Maynardo, Canonico Cæseratensi & Presbytero, Joanne Quirico de Ferrariis, Canonico Collegiata Ecclesiæ S. Ambrosii de Vigevano, Novariensis Diocesis, testibus ad præmissa vocatis, habitis atque rogatis.

„Transumpti auctor erat Baptista Bagarottius Episcopus Bobiensis, & Comes Scriptor, & Notarius Joannes Thomas de Cavallis, Mediolani & Imperialis Notarius.

X.
ExArchiv.
Angliæ
Rimer.
Tom. 13.

Concedit Cardinali Eboracensi Administrationem Episcopatus Tornacensis, tum in spiritualibus, tum in temporalibus: anno 1517.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Thome, Tituli Sanctæ Cecilie Presbytero Cardinali, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX supernæ providentiæ Majestatis Universi Gregis Domini, & singularum Ecclesiarum (præsertim Cathedrâ insignium) Curam gerentes, ad ea libenter intendimus, per quæ nostræ provisionis ministerio seditionum, & scandalorum, inter Fideles quoslibet imminentium, amoveatur occasio, & dictarum Ecclesiarum occurratur dispendiis, nec non Catholicorum Regum (in quorum temporali dominio Ecclesiæ ipsæ consistunt) iustis

querelis opportunis remediis valeat obviari. Dum siquidem cum accepissemus, quod dilectus Filius Ludovicus electus Tornacensis, quem nos pridem Ecclesiæ Tornacensi, tunc ex eo, quod Bonæ memoriæ Carolus Episcopus Tornacensis, tunc in humanis agens, Regimini, & administrationi illius Ecclesiæ Tornacensis, cui tunc præerat, in manibus nostris spontè, & liberè cesserat, nosque cessionem ipsam duxeramus admittendam, usque ad certum tunc expressum tempus, Administratorem in Spiritualibus, & Temporalibus, de Fratrum nostrorum Consilio, deputaveramus, & de cujus deinde Persona eidem Ecclesiæ provideramus, præficiendo eum illi in Episcopum, & Pastorem, Curamque, & Administrationem illius sibi in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, Ecclesiam prædictam Populo insignem pro deserta, & derelicta habente, ne ipsa Ecclesia, Pastoris interim regimine destituta, in spiritualibus, & temporalibus gravia dispendia pateretur, te, tunc electum Lincolniensem Ecclesiæ prædictæ in spiritualibus, & temporalibus Administratorem, quoad viveres, per quasdam primò de Fratrum nostrorum Consilio Apostolicâ auctoritate constitutum, & deputavimus: & mox quum ab aliquibus revocaretur in dubium, an posteriores Constitutio, & Deputatio huiusmodi per translationem tui de Ecclesiâ Lincolnienfi ad Ecclesiam Eboracensem per nos factam cessarent, per alias nostras in formâ Brevis confectas declaravimus, Constitutiones & Deputationes, per translationem prædictam, vel etiam Regimini, & Administrationis præfate Ecclesiæ Eboracensis Possessionis, vel quasi assecutionem non expirare: Successivè verò per nos accepto, quod præfatus Ludovicus, Deputatio, & Provisionis de persona sua, ut præmittitur, factam vigore Regiminis, & Administrationis, ac Bonorum dictæ Ecclesiæ Tornacensis, seu majoris partis eorum possessionem vel quasi assecutus fuerat, & ipsam possessionem pacificè continuaverat, donec Civitas Tornacensis, ad carissimi in Christo Filii nostri Henrici Anglorum Regis illustris manus devenerat, quo tempore, Bello inter eundem Henricum, & claræ memoriæ Ludovicum Francorum Reges vigente, dictus Ludovicus electus jure, quod sibi in dicta Ecclesia Tornacensi competebat, frustraretur, & ex aliis causis tunc expressis, Constitutionem, & Deputationem de Persona tua in ipsius Ecclesiæ Tornacensis Administratorem per nos sic factas, auctoritate Apostolicâ per nostras litteras revocavimus, & eidem Ludovico electo, quod possessione Ecclesiæ Tornacensis, & Bonorum illius pacificè frui, & gaudere deberet, indulgimus, monuimusque dilectos Filios, Capitulum Ecclesiæ Tornacensis prædictæ, Clerumque, & Populum dictæ Civitatis, & Tornacensis Diocesis, & eorum singulares, ac alias Personas, etiam Religiosas exemptas, & non exemptas, dictæque Ecclesiæ Tornacensis Vasallos, & Laboratores, Feudatarios, & Emphyteotas, ac fructuum, reddituum, & proventuum Mensæ Episcopalis Tornacensis Arrendatarios, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis, & præminentie Ecclesiasticæ vel mundanæ forent, etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, seu quavis alia Ecclesiasticâ, vel mundanâ dignitate fulgerent, in Virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub gravissimis censuris, & penis tunc expressis, districtè eis præcepimus, ut dicto Ludovico Electo, tanquam eorum Animarum Patri, & Pastori obedirent, eique de dicta Mensæ fructibus, redditibus, & proventibus integrè responderent, & alia facerent, certis desuper executoribus, qui ad censuram, & penarum huiusmodi incursum declarationem procederent, & alia eis per nos tum commissa exaquerent, desuper deputatis, prout in singulis litteris prædictis plenè continetur.

Et deinde cum præfatus Henricus Rex, & tu,

à revo-